


ORATIO
PRO SOLEMNI STUDIORUM INAUGURATIONE
in Regia Svet. Univ.
CORAM EJUSDEM CLARISSIMIS
RECTORE, DOCTORIBUS, ET MAGISTRIS

DICTA

A R. P. M. F. EMMANUELE DE CASO,
SACRAE THEOLOGIÆ PROFESORE
ET ACADEMIÆ ORATORIÆ MODERATORE.

XV. KAL. NOV.

ANN. DÑI. M.DCCCXXXII.



Ast
F.S.
C
22-21

OVETI.

put Epip. de Pedregal et Es.

Ast F.S. C 22-21*



ПЯТЬ СОЛНЦЕВЫХ ГРУПП ИНСТИТУЦИИ ПОДДЕРЖАНИЯ МИРНОГО РАЗВИТИЯ

CORAL ELLSWORTH CLOVISI

ЯЗЫКИ МАГИСТРИСТУРЫ ДОCTORAL MAGISTERIUM

Parvis quoque rebus magna juvari.

HOR. EPIST. LIB. II. EPIST. I. AD AUG.



Sección Bibliografía Asturiana

RDFS Ast E S a ss

RDIS Ast F.S. C 22-21
01881190676 R93087804



Cujusdam Regis Judà elogium in sacris litteris inter alia legitur , quod *aperuit valvas Domus Domini , et instauravit eas.* Et de CHRISTINA amabili Regina nostra dicere hodie possumus , quod *aperuit valvas domus sapientiæ , et instauravit eas.* Ita sane est , et quanto cum gaudio id profero , et ipsimet auribus arripitis verba mea ! Ita sane est , dignissime Rector , sapientissimi utriusque facultatis DD. et MM. ingeniosi adolescentes , reliquique undequaque adstantes. Decretum quod modo audistis Regia CHRISTINÆ Manu signatum nos in hac die studiorum publicorum installationi destinata iterum post biennalem suspensio nem convenire facit. Lætus et creber cymbalorum pulsus , gaudium omnium animis et

cordibus exundans , lætitia vestrum omnium vultibus inspersa , Auditorum frequētia et concursus : omnia isthæc nostræ gratitudinis signa sunt indubitata. Quid? Quod ipsi parictcs huyus Licæi sordibus antea , miserando que luctu squalentes gratias , ut ita dicam , agere gestiunt. Solum desiderabatur orator , qui oratione culta politaque hujusce diei lætitiae posset concinere , qui que auditorum , studiosorumque juvenum animos accenderet ad incumbendum totis viribus studio , et virtuti , ad mores informandos , ut ita votis Reginæ respondeant , quæ non aliò collimant , quam ut virtus quæ sapientiæ comes indivisa esse debet , juvenum pectoribus alte insideat , ut ita ex his Licæis sapientes viri prodeant , quorum ope , consilio et ductu Regnum consistere et florere valeat.

Sed quoniam loqui et orationem texere opus est , ad virtutem , ad scientiam vos adhortari quoquomodo satagam , quantum mihi fas sit. Novi equidem quod post tot , tamque energicas , tam commendatione pretioque dignas ad sapientiam adhortatio-

nes , sapientiaeque ipsius præclara encomia et perfecta ingenio , et industria elaborata , quæ rerto elapsis annis in lucem prodierunt , difficilissimum est , saltem pro mei ingenii viribus , quidquam novi disserere , quod vestros animos ad audiendum paratos exemplere possit , et cum jucunditate vestram atentionem suspendere . Haud me latet inexauribilem esse sapientiae thesaurum , illiusque laudes nunquam finem habere posse : probeque scio dictum vel effatum illud : *ardui conatus non esse Apollinem laudare , in quo tanta sint laudum argumenta : de literis potius , et de sapientia dici oportere.* Tam enim sublimis est , tam longe lateque diffusa harum claritudo , ut quæ omnium ferè literatorum ingenia exercuerit , fatigaverit eloquentiam , pluribus adhuc illibatis possit deinde et novitate voluntatem allicere , et magnificentia admirationem explorere .

Veruntamen vires meas considerans , non abs re , quim potius jure ac merito vereor vel saepius dicta repetere , vel magna modis tenuare parvis , ut cum Horatio loquar

difficile est enim proprie comunia dicere. Mecum itaque ipse recogitans qua via me expedire possim in præsenti discrimine , non tam sapientiæ laudes in medium proferre , quam media ad sapientiam adipiscendam experimento probata indigitare impræsentiarum statui. Humilis profecto , demissaque erit oratio, at fortasse non ideo minus utilis: *parvis enim rebus magna sæpe juvantur.* Amorque , et studium quo sapientiæ incumbitis , quique vos scientiarum aulas per biennium obseratas , hodieque Regia CHRISTINÆ Manu reclusas iterum repetere cogit , haud inquis auribus audire faciet , quæ mihi serio cogitanti , cunctisque qui juventutem erudiunt , media ad scientias acquirendas oportuniora visa sunt.

Itaque , si quæ placitura dixero , potius erit effectus amoris erga sapientiam quem in vobis vigere maxime sentio , quam eloquentiæ qua me destitutum agnosco. Id possum polliceri , nimia prolixitate nemini me fore fatidio , memor illius Cleomenis qui ad Samiorum Legatos prolixo sermone usos spartano supercilios respondit , *neque priora*

neque media meminisse, extrema non probare.
Digna merces orationis importune profluentis ad suum dedecus , et ad audientium offenditionem calatum mentemque laxantis!

Iam , quod ad rem attinet , quoniam vultu , oculis , nutibus sapientiæ desiderio flagrare patefacitis , viamque ad illam adispicendam monstrari maximopere desideratis : Hic amor est , Auditores benévoli , hic , inquam , amor primum est quod cordibus vestris ingerere oporteret , ni jam illo ardentes cernerem . Si enim sine studio et ardore quodam amoris in vita nihil quidquam fit egregium , quis nisi scientiarum amore incensus sit , utiles in illis progresus potest efficere ? Vos itaque scientiarum amore flagrare indubitatum est . Attamen , ut Imperatores , ajebat Cicero , ut Imperatores instructa acie , solent , quamquam paratisimos milites ad præliandum videant , eos tamen cohortari , ita juvenes ardentes et crecti ad laudem ad literas sunt adhortandi . Et verò quis sapientiam non diligit quæ pretiosior est cunctis opibus , et cuius comparatione omne aurum arena est exigua , et tanquam

lutm argentum æstimari debet? Hac una tantum homini homo præstat quantum fere homines belluas antecellunt. Nihil est , ait Cicero , nihil est non dicam in homine sed in omni Cœlo et terra ratione divius. Quanti itaque censendum erit rationem excolere , quantumque conari debent adolescentes ut illam perficiant ! Haec etenim aetas, optimi auditores, hæc ætas significat ostenditque fructus futuros , reliqua tempora demetendis fructibus , aut percipientis accommodata sunt. Et ut ait sacra scriptura quæ in juventute non congregaverimus quomodo in senectute inveniemus?

Vulgatissimum est proiectæ ætatis homines de tempore in juventute frustra et inutiliter amisso dolere , multasque desiderare cognitiones quas in primævis studiis facili negotio acquirere potuissent : in mediumque proferam libenter ad vestram instructionem , meæque propositionis assertionem , quod quidam Poeta Hispanus cum sapientia colloquens ajebat hac brevi lyrical compositione : =

¡ Pluguiera á Dios que en tí Sabiduría
 Guia del alma y celestial lumbrrera ,
 Huviera yo empleado el largo dia,
 La fria noche , el tiempo que perdiera !
 Tuviera con tú dulce compañía
 Alegria en lo adverso y paz entera :
 Viera lo que no ví cuando creía
 Que veía lo que ver jamas quisiera.
 Vencido de ignorancia pobre y ciego
 Entrégo á tí el ingenio envejecido
 Despedido del ócio y vano juego :
 Ruégote le recibas, que aunque ha sido
 Perdido por su gran desasosiego
 Sosiego ha de encontrar á tí rendido.

Vulgatissimum , inquam , est multas in
 proiecta ætate cognitiones desiderare qui-
 bus si essent instructi et ornati , solatium
 juvamenque in senectute invenirent. Quæ
 enim laboriosa sunt juventutis studia , hæc
 sunt jucunda senectuti otia : hæc res ju-
 cundas ornant , adversis prefugium atque
 solatium præstant : En ego , cum Patria ca-
 ream , ajebat Ovidius Filiam suam alloquens ,

En ego cum Patria caream , vobisque domoque
 Raptaque sint adimi quæ potuere mihi.
 Ingenio tamen ipse meo comitorque fruorque
 Cæsar in hoc potuit juris habere nihil

Et ut à prophanis ad sacra vertamur
 Ecclesiasticum audite qui ait : *fili, à juven-
 tute excipe doctrinam, et usque ad canos in-
 venies sapientiam.*

Itaque, ut cum Scriptura loquar, quod
 mei muneris atque professionis proprium ma-
 gis est, sicut à primis annis virtuti incum-
 bere oportet, et memorari Conditoris nos-
 tri in diebus juventutis, et antequam ve-
 niant anni de quibus dicamus: *non mihi pla-
 cent, ita et optimis literis vacare, et opti-
 mas cognitiones acquirere debemus, dum
 ad laborem apti invenimur.* Expectabimus
 ne ad necesarias cognitiones scientiasque
 acquirendas ætatem illam, in qua tenebres-
 cat sol, et lumen, et luna, et stellae,
 et revertantur nubes post pluviam: quan-
 do commovebuntur custodes domus, et
 nutabunt viri fortissimi, et otiosæ erunt
 molentes in minuto numero, et tenebres-

cent videntes per foramina, et claudent os-
tia in platea in humilitate vocis molentis : et
consurgent ad vocem volucris, et obsurdes-
cent filiæ carminis , reliquaque contingent
quibus graphice senium describit et ob oculos
exibet per Ecclesiastem Divinus Spiritus ?

Adde quod sapientiae studium et amor
nos a noxiis voluptatibus retrahit, mores-
que juvenum, quod maxime optandum est,
mire componit et corrigit, ita ut dicere pos-
simus quod Horatius ajebat de his qui rei
rusticæ dant operam.

Quis non malarum quas amor curas habet
Hæc inter obliviscitur?

Excitat hæc teneras in quæque illustri a mentes
Sapientia nempe.

Excitat hæc teneras in quæque illustria mentes

Virtutemque animos excoluisse facit.

Datque bonos mores, studioque incendit honesti

Evitare hominem lubrica quæque docet.

Ingenium ingenuas facit ut rapiatur ad artes ,

Ut que homini ex culto pectore præstet hom

Hac duce Pierii modulantur carmina vates

Et forma , et mores et bona fama manet.

Econtra vero, si non

Intendis animum studis et rebus honestis.
Invidia vel amore vigil torquebere.

Suposito hoc amore sapientiae facili negotio illam assequemini. Facile enim videatur ab his qui diligunt illam et invenitur ab his qui quærunt illam : præoccupat qui se concupiscunt ut illis se prior ostendat. Hic amor à noxiis voluptatibus et curis vos separans idoneos vos efficiet ad illam non modo amplexandam, sed totis viribus hau riendam. Ad sapientiam igitur adspirate, juvenes clarissimi ; nunc sese offert adspec tu pulcherrima, aditu facilis, atque diligentibus candidatis jucunda. Ianuas aperit hodie penetralium ut vos ad ingressum alliciat. Nunc , nunc ergo adhibete puro pectore verba : nunc vos melioribus offerte ! Quo semel fuerit imbuta recens servabit odo rem testa diu. Arripite scientiarum viam. Dimidium facti qui cæpit habet. Sapere aude, incipe.

Haud me latet labores et difficultatem experturos. Quod præclarum idem arduum, sapientiaque sibi semper illud Antiquitatis oraculum vindicavit: *per aspera ad Astra.*

Sed difficultas hæc adhibita diligentia vel minuetur vel penitus evanescet. Quis autem diligentiam non adhibeat juxta rei magnitudinem quam consequi conatur? Diligentia in omnibus rebus plurimum valet: hæc præcipue colenda est vobis: hæc semper adhibenda: hæc nihil est quod non assequatur, qua una virtute omnes reliquæ virtutes assequentur. Tenuitatem vero ingenii prætendere nimime licet, ut ab hac quam vobis commendo diligentia abstineatis. Fere enim non alio ingenia differunt, optimi adolescentes, quam quod alii desidiæ et ignaviæ indulgent et herbam otio porringtonunt; alii vero assiduitate constanti et constantia assidua scientiis incumbunt, et de quibus dici potest: possunt quia posse videntur.

Diligentiam sequetur atentio, sine qua nec vigorein neque exactitudinem ratio valet acquirere. Quodcumque investigationis objectum attentionis auxilio ad propria elementa reduci debet, et postea cum illis et ex illis iterum componi; in qua duplice operatione totum secretum humani spiritus situm est, ut per singula scientiarum objeta

discurrenti facile patet. Saepe dictum est, et experientia compertum nihil nos revera scire, nihil clare dignoscere, nisi quod unusquisque per scipsum comperit et propriis viribus invenit. Ni ita fiat, ideæ quas acquirimus in nobis quidem invenientur, sed reipsa nostræ non erunt, et erunt potius velut plantæ extraneæ quæ radices nequam figent, tandemque siccabuntur et evanescant.

Bona item sociorum et amicorum elec-
tio quantum ad scientiarum acquisitionem
conferat, vix credi valet. Cum hominibus
acri judicio et selecta eruditione praeditis
conversari multo magis ad scientias quam
librorum confert privata lectio. Concerta-
tio quoque quæ sæpe cum illis instituitur
profundas radices agere cognitiones facit,
et sicuti ex conflictu calybis cum silice
scintillas erumpere cernimus, ita lux veri-
tatis ex colloquio cum sapientibus provenit.
Quoties quod non nisi cum formidine as-
serebamus, firmissime et certissime postea
tenemus, videntes rationes nostras aliorum
rationibus congruere? Quoties clara lux

vel ex uno verbo proveniens tenebras nostras dispellit? Quoties obstacula, quæ nobis objiciebantur, nostrosque progressus impediebant, sociorum ductu et exemplo evanescunt! Quoniam itaque familiaritas cum aliquibus ineunda est, eos seligamus ex quorum consortio et colloquio vires nostri ingenii augeantur, et si illos invenerimus thesaurum nos invenisse existimemus.

Libros etiam optimos evolvere quantum intersit supervacaneum est ostendere. Circa cunctas scientias quam plurimi prostant libri, ut nunc dicere possimus potiore jure quod sua ætate Quintillianus ajebat: nempe, quod tot nos præceptoribus, tot exemplis instruxit antiquitas, ut possit videri nulla forte nascendi ætas felicior quam nostra, cui docendæ priores elaboraverunt. Attameu *multas inter opes inopes* nos esse inventimur, eo quod vel tanta librorum copia nostram desidiam foveat, vel ex illis seligere nesciimus qui ad nostram instructionem efficacius conferant. Nobis itaque instar axiomatis sit in hac re monitum ilud Senecæ: *non refert quam multos, sed quam bonos libros*

habeas : lectio certa prodest, vana delectat.
Fortuita enim et varia lectio, ajebat quidam antiquus Author , fortuita et varia lectio et quasi casu reperta non cœdificat sed reddit animum instabilem, et leviter admissa levius recedit à memoria. Paucos itaque, eosque molioris notæ libros pro qualibet scientia seligere oportet, eosque non multos sed multum legere : id est, neque interrupte, neque animo alienis curis distracto , sed multa atentione diurna nocturnaque manu versare. Quantus ex bonorum librorum lectione assidua fructus proveniet ! Thucidides ex Herodoti iterata sæpius lectione, eximius Historiographus evasit. Cum doctorum libros studiosius legimus , sentimus, ait Cicero , orationem nostram cantu quasi colorari : eodem etiam pacto rationes et argumenta Authorum et librorum quos evolviimus nostri juris quodammodo facimus.

Et cum memoria labilis sit , idque solummodo sciamus quod memoria retinemus, hinc ad memoriæ auxilium scripturam succedere oportet , qua notatu digniora in adversaria referantur, ut cum opus fuerit

præsto nobis sint. Igitur quæ meliora ex libris, optimi adolescentes, veluti apes industriosæ delibatis, ad certos titulos redigite, loca Authorum breviter indicando, ut cum oportunum fuerit, ea invenire valeatis. Notari etiam oportet, quod scriptura medium est efficacius ad ideas claras distinctasque efformandas. Quoties nobis aliquid scire videmur, quod si scribere, et scripto consignare volumus ancipites hæremus, iterumque ad trutinam objectum illud revocare cogimur! Itaque, quod Ciceron de stylo ajebat, nempe quod est optimus dicendi effectus atque magister, id in quacumque scientia veritatem obtinet: adeo ut nos aliquid scire credendum non sit, nisi quod scripto tradere possumus.

Iam vero, jactantia et arrogantia quo studio vitanda sit, non est cur dicamus: idque sibi quemquam persuasum esse oportet, eo magis in scientiis se profecturum, quo major fuerit ejus modestia, et deferentia erga eos qui in scientiis præcellentes habentur. Omnem præventionem et præoccupationem abjici oportere, ut veri-

tas inveniatur, notissimum est. Tunc non nostras præjudicatas opiniones Authoribus quos legimus atribuemus sed potius ab eis hauriemus. Quod recte explicat D. Hilarius his verbis : „optimus lector est qui dictorum intelligentiam expectet ex dictis, „potius quam imponat, et retulerit magis „quam attulerit, neque cogat id videri „dictis contineri quod ante lectionem „præsumpserit intelligendum” quod præcipue locum obtinet ubi de rebus Divinis agitur, in quibus, ut ipse ibidem ait: „meminisse oportet terrenarum mentium „infirmas atque imbecillas opiniones esse „abjiciendas, et omnes imperfectæ sententiæ angustias religiosa discendi expectatione laxandas.” Itaque nemo plus æquo sibi fidat: quod non solum juvenibus, sed omnibus scientiarum asseclis numquam satiis inculcari valet. In quot enim errores, in quot absurdia sapientes nimium sibi fidentes prolapsos esse vidimus præsertim novissimis temporibus, quæ *animus meminisse horret.* Arrogantiam et superviam sapientiam detestari ex Scripturis comper-

tum habemus, cum è contra, in modestis et humile de seipsis sententibus propiam sedem constituat. Se ipsum ergo quodammodo nescire scientiarum amatorem oportet: id accidit in animis quod in oculo, qui se non videns omnia videt: sic animus se non videns omnia cernit. Verbo dicam: scire cupiamus vel ut alios ædificemus, vel ut ipsi ædificemur, qui unice in abusione scientiæ non inveniuntur.

Sobrietatem etiam in cognitionibus quantum curare debemus! quæ pari prope gradu cum usu moderato cibi et potus incidunt. Ecquid inserviet crasitudo nimia, quæ corpus retardat et impedit et agravat, et quæ sæpe morborum germen secum affert? Sicut alimentorum copia stomachum onerantium ad nutritioem non confert quin potius digestionem impedit, eo fere pacto in scientiis contingere videmus. Multi præterea copiam et ubertatem cognitionum anhelantes, in soliditate amitunt quod in superficie lucrantur. Adeo certum est quod.

Nos fallit vitium specie virtutis et umbra.

Moderamini igitur, studiosi adoles-

centes, moderamini sapienter desideria vestra, per ordinem quæ sunt legenda discentes, imitantes scilicet eos qui corpoream habere desiderant sospitatem.

Haud me latet Quintilianus sententiam esse plura uno tempore juvenes edoceri posse. Verum hoc nunquam satis monendum judico: quæ necessaria sunt priorem locum tenere debere; quæ autem subsidiaria, et præcipue quæ non nisi ad ornatum conferunt, horis, ut vulgo dicitur, otiosis et non nisi recreandi animi causa, persequenda. Vitium in scientis æstimabat Cicero, quod quidam nimis magnum studium multaque operam in res obscuras atque difficiles conferunt, easdemque non necessarias.

A nimio etiam discendi ardore abstinentium vobis est. *Lente potius festinare debent* scientiarum amantes, neque ideo minor erit eorum profectus. Nam ut itinerantes, qui nunquam commorantur, neque à via deflectunt, licet non multum properent ad metam citius pertingunt, quam qui initio cursum accelerant et ideo brevi defatigantur quiescereque conguntur, ita fere

contingit in scientiarum curriculo ; recteque in hac re dicere possumus quod Horatius ajebat 3. Carm. ode 4 quod

Vis consilii expers mole ruit sua ;

Vim temperatam Dii quoque provehunt

In majus.

En, auditores benevoli, quæ vos monitos volui, ne in incertum curratis, et ne frustranci aut forte noxii vestri labores conatusque reddantur. Diligite sapientiam. Illam præ omnibus sectamini. Hic amor imprimis vobis cordi esse debet. Amor hic diligentiam pariet : diligentiam atentio comitabitur, quæ in proborum colloquio, et in bonorum librorum lectione miros fructus eficiet. Fructus vero studiorum vestrorum scripto consignare vobis pergratum sit, ut brevi obtutu labores emensos videre possitis. Animi vero elationem et præfidentiam, curiositatem nimiam, inmoderatum descendendi ardorem ut scopulos ex syrtes vitate, quæ in scientiarum pelago, ut ita dicam, naufragium vobis inminere faciant, vosque

in profundum demergere.

His artibus, monitis et consiliis instructi, quæ melius Magistri vestri vobis suggerent, quam quod ego brevi et impolita oratione facere possim: his inquam monitis et consiliis instructi, scientias, quibus incumbitis, facili negotio assequemini, genuinaque sapientia donati apparebitis, quæ vos et præclaros Cives et Patriæ utiles, Regnique atque Religionis columen et propugnacula eficiet. Quis enim ignorat sapientiam uniuscujusque Imperii firmamentum esse? Nihil certe ad firmando Regna, et illorum vires, et potentiam augendam ita valet ut sapientia: multitudo sapientum sanitas est orbis terrarum.

Et ne per singula Regna et Imperia evagemur quæ sapientia crexit et neglecta sapientia extincta snt: ut Romanorum potentiam omittamus quæ cum sapientia ultra modum excrevit et cum sapientiæ obliuione pariter dominationem amisit, quid nostram Hispaniam à tcls hostium protexit? A belli periculis quis defendit? E læthi faucibus jam pene huastam quid toties

eripuit , nisi illa quæ suis semper invigilat militatque alumnis Philosophia ? Mitto celebres partas victorias , quibus Agarenorum potentia toties confracta est , qui- busque tandem tota Hispania in unam in divisamque Nationem evasit. Mitto celeberimam Americæ expeditionem et acquisitionem non minus Philosophiæ et Sapientiæ Coloni quam ejus fortitudini et magnanimitati debitam (Atque ó utinam sapientia quæ *plus ultra* Hispanum nomem ad remotam illam continentem regionem volare fecit , colonias illas tandem Metropoli et Religioni postliminio restituat). Mitto tot alia exercituum Hispanorum præclara ges- ta , quæ Hispanorum gloriam ad Ethera evexerunt , ut totam mentis aciem ad tem- pora quæ attigimus convertamus. Quid nisi sapientia ejusque maturiora consilia di- lectissimum Regem FERDINANDUM bis votis nostris restituit ? Quid labascentem Reli- gionem erexit ? Errores undique grassantes compressit , profligavit ? Jura veritatis asseruit ? Veram , germanamque Politici Re- giminis notionem firmavit , nisi sapientia ,

quæ tot doctissimorum virorum pectoribus insidebat , cujusque tam præclara monumenta in *Collectione Ecclesiastica* asse-
vantur ?

His rationibus ductus Piissimus noster Rex , quem Deus Opt. Maximus diu inco-
lumem servet , ejusque nomine dilectissima Spōnsa Sapientiam in Regno sibi commisso
figere et florere cupiens , Sapientumque
votis benigne annuens , *Regia* , ut jam dixi ,
manu valvas hodie Domus Sapientiæ ape-
rit , et Licæa publica iterum patere facit.
Nunc vero , in quæ gratitudinis signa erum-
pere par non erit , dum videmus litteras ,
quasi gravi et læthali somno opresso-
nas , ite-
rum reviviscere , pristinumque splendorem
induere : atque eo ipso tempore , quo de
Dilectissimi Regis sospitate , et à periculo-
so morbo restitutione lætum nuncium sus-
cepimus ?

Oh ! Utinam preclarissimi Juvenes (et
hoc sit potissimum gratitudinis signum ,
quod à vobis expectat amplissimus hic Sena-
tus , et quod ut effectum sortiatur pro vi-
ribus quisque curabit) Oh ! Utinam irriti

posthac timores reddantur , qui luctuosæ studiorum publicorum suspensioni occasione forte ministrarunt! Nostrum sit imposterum certiores omnes facere , nihil periculi ex studiosorum juvenum frequentia , societate et multitudine metuendum fore : nihil nobis tam cordi esse quam Regni tranquilitatem et pacem , qua unice literæ foventur et aluntur : Nostrum sit Regis dilectissimi Reginæque incolunitatem exposcere , ipsisque geminatam Regiam Sobolem apprecari , quæ ipsorum gaudium et coronam efficiat. Ita sane futurum confidimus: atque hæc sunt omnium adstantium vota : ut **Regina** sit in Aula Regis tanquam **Rachel** et **Lia** quæ ædificaverunt domum **Isrrael** : ut **FERDINANDI** Uxor sit vitis abundans in domo ejus , et Filii sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ ejus , sic enim benedicetur homo , qui timet Dominum.

DIXI.

postpac timotes 1579sunt, dñi 1579
 studiorum publicatione et solutione
 ac forte universitatis! Postum si e impo-
 terum certiores omnes rrgere, dñi 1579
 cui ex studiorum iudiciorum procedentia,
 societas et universitate mercenariae
 dñi 1579 ipsa tam certi esse dñm Regis
 dilectionem et precium, dñi officie Regis fo-
 rum et salutis: Non tam sit Regis di-
 rectissimum Regis etate jucundissimum ex-
 possit, ipsiusdem beatitudinem Regis 80-
 possum abdicari, dñs ipsorum beatitudinem et
 coronam efficit. His sane futuram conu-
 qimus: sed ne haec sunt omnium assertarum
 vota: ut Regis sit in Asia Regis Iugoslavie
 Regis et Tis das sacerdotalem donum
 Regis: ut Hernani Uxot sit viris
 apudamus in gonto ejus, et Tis sit no-
 bellus olivarum in circuus menses ejus
 sic enim peregrinatione pomo, dñi timer Do-
 minum.